

Bibliothèque numérique

medic@

Jussieu, Joseph de - candidat /
Jussieu, Bernard de - président. - An à
Ligaturâ Polypi narium tutior Curatio
?

1734.

*Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°98*



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax06x0098

399
QUÆSTIO MEDICO - CHIRURGICA,
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ
sextâ Martii, anni M. DCC. XXXIV.

M. BERNARDO DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academiæ,
Regiæque Societatis Londinensis Socio, & in Horto Regio
Botanices Prodemonstratore, Doctore Medico, Præside.

An à Ligaturâ Polypi narium tutior Curatio?

I.

DEFORMIS incommodusque tumor narium cavitatem quandoque infestat, Polypum antiqui recentioresque Medici nuncupant. Congruatne à radicem ejus cum multiplici pedum numero petita comparatio, Philologorum est inquirere: præstat tumores speciem, naturam curationemque diligentius quàm etymon dignoscere. Primum oculis se mole modò minorem, modò majorem præbet, exiguum, ampliorve in naribus locum occupans; color huic albicans, rubicundus, plumbeo-livescens; substantia mollis, firmior, aut scirrhusa, vel ad Œdema, vel ad Sarcoma, vel ad Carcinoma refertur; forma vel pyrum petiolo suffultum, vel cavitatem in qua concrevit, huic sese aptando, exprimit, eaque parte quâ membranæ pituitosæ hinc illinc expansæ potiùs quam cartilaginibus aut ossibus adheret, vel latâ basi protuberans, vel pyri instar petioli adminiculo pendulus incrementum suscipit. Quis verò hospitis inimici in unâ sapiùs, quandoque in geminâ nare nidulantis incommoda enarret? olfactus sensum ex exquisitissimo hebetem redditum, inspirationis expirationisque libertatem oppressam, ingratum loquelæ sonum, graveolentem stagnantis pituitæ aut foetidum puris ex aperto tumore stillantis odorem omnibus teterrimum. Quid si præterea partium solidarum læsionem spectes? hæc nimirum tumore circumscribi impatiente coarctantur, qui adeo interdum luxuriat, ut pendulus antrorsum indecorè se præbeat, aut ad oris fundum retrorsum prolapsus suffocationis metum incutiat? Quid si nimium dilatatis narium claustris, non sine gravi organi fabricæ damno, & ipsorum, quibus cavitates efformantur, ossium compaginis dissolutione, extrorsum latius aliquando serpat, faciemque (a) turpiter peragret? incommodo ac dedecori nonnumquam dolor additus, gravans ac pungens pro variâ mali indole certam curationem postulat; reddendus simul faciei decor, ac restituenda odoratus, respirationis & loquelæ facilitas; quâ arte, quibus instrumentis, quibus cautionibus rem exequaris, hoc opus, hic labor est.

I. I.

POLYPI originem quæris? à parvo in membranâ pituitosâ tuberculo exortus, in modum fungi petiolo innixus crescit, & molem amplam sensim acquirit, aut latiori basi donatus, vel multiplici radice annexus in tumorem prominet; illic unam aut alteram, ex copiosissimis glandulis, quibus internas nares obvestiens membrana referta est, tumefactam accusa; hic numerosiores glandulas textumque ferè totum membranæ perverso modo germinare deprehendes. Stagnet in glandularum vasis, aut pituitariæ membranæ textu, sanguis, humorve quilibet, en tibi proxima mali causa; hinc vasa distenduntur, distenta tonum amittunt, languidè resiliunt, sensim sine sensu humori appellenti cedunt, producuntur, aggeriturque intra vasorum parietes morâ lentescens humor, & circuitui perficiendo impar; lentorem humoris tumorisque molem auget productæ quâ continetur membranæ fibrarum inertia, à scaturiente quo illinuntur distendunturque muco jugiter fota. Remotam habes polypi causam in uberiore sanguinis aut lymphæ ad membranam pituitariam appulsu, in viscidiori utriusque crasi, & excretoriorum vasorum obstructione, hisque locum dabunt permulta hanc sanguinis humorumque illuviem, aut diathesin in nares inducentia, frequentes hæmorrhagiæ intempestivè sedatæ, hæmorrhoidum mensiumque suppressi fluxus, &c. Coryza, pituitariæ membranæ inflammatio, excoriatio vel levis, narium importuna sordescitibus digitis contrectatio, casus, ictus, & extraneum quicquid in cavitatum recessu nidulans, aut in ossium cartilaginumque substantiâ infixum hærebit, ea denique in membranâ pituitariâ dispositio, quæ in fibrarum, vasorum glandularumque laxitate consistit, singula excrecentiæ polyposæ ansam præbent. Variant tumores color, substantia, indoles pro humorum vitio vel causarum varietate, albicantem, mollem, indolentemque faciunt, serosi humoris quo constat visciditas & rarior membranæ pituitariæ textus, productatum ejus fibrarum vieta ductilitas. Eò intentiùs obscuriùsve rubescet Polypus firmiorique

(a) Job. à Meek-
ren Obs. Chirurg.
cap. 21.

substantiâ donabitur, quò vividiori, crassiorive sanguine vasa infarcientur; si ob distentos venoso sanguine ramulos varicosa fiat membrana pituitaria, Polypi formam amulabitur, nunc crescens, nunc decrescens, interdum cruorem fundens, non Lunæ phasium consensu ut sinxerunt quidam, sed pro vario plethoræ gradu. Sin crassiore lymphâ turget per fluidatum partium ex morâ dissipationem, aut imprudentem stypticorum absorbentiumve applicationem, in scirrhum evadit: sic & qui prius benignæ fuerat indolis tumor, mutatâ sanguinis & lymphæ crasi, principiis eorum salino-acido-corrosivis evolutis, & rigidè vasorum parietes pungentibus, aut irritantium, escharoticorum infauisto usu excandescens, carcinodes fit colore lividus, durus, acerbè excrucians. Cum demùm sanguis aut lymphæ strumoso, scorbutico, venereoque intingitur viru, aut aliâ contractâ labe inquinatur, eodem vitio tumor inficitur, novas germinandi vires haurit, nullis, nisi destructo prius contagioso veneno, remediis cessurus. Polypum benignum facilè, altis verò radicibus latè expansis hærentem, gravioribusque stipatum symptomatis difficilè attingas, carcinodem omninò tentare nefas.

I I I.

* Clarif. Winslow.
Expos. Anat.

VARIAM in narium cavitate Polypi sedem vestigare, instrumenta, medicamenta morbo convenientia, internæ structuræ accommodata, eligere, electa dirigere abstineat Medicus, nisi penitus seduloque perspecta prius innoverit organi fabrica, nonnisi scrupulosæ anatomæ* ope obtinenda. Hæc prælucente face latentis morbi genium, auxiliorum armaturam, tutioremque administrandorum viam assequeris. Efformatur ex plurium ossium & cartilaginum coagmentatione nasi gemina cavitas; hanc sepimento distinctam nares internas vocant; externè patentes, nares externas; ad lacunar faucium posteriùs protensas, nares posteriores. Mediam, superiorem & maximam hujus cavitatis partem os Ethmoides occupat; cellularum diverticulorumque apparatus insigni, tenellulis ossis lamellis conflatum totumque fragile: hujus basin constituunt ossa turbinata superiora, inferiùs ossibus maxillaribus & palatinis annexa prodeunt inferiora. Infernè latior rectaque à naribus externis ad nares posteriores via datur, adeò superiùs arctata, ut vix septum inter & ossa turbinata superiora atque spongiosum Ethmoidis corpus unius lineæ superfit intervallum; isthmus dicitur. Lamina ex ossis ethmoidis tabulato cribroso descendens, antèriùs, vomer verò posteriùs, septum narium absolvunt. Varii in naribus aperiuntur sinus, maxillares ad latera, ossa turbinata superiora inter & inferiora, pone sacculum lachrymalem; hiant deorsum frontales supra orbitas extensi, & cum cellulis ethmoidis communicant; dehiscunt verò antrosum sphenoidales sub Ehippio latentes, pone ossa turbinata superiora. Anfractus, cellulas & narium sinus obvestit internè membrana pituitaria dicta, immediatè periosteò & perichondrio superstrata, vesiculari textu donata; ad nares externas tenuior, cuti & cuticulæ confundi videtur, circa septum in parte infernâ narium atque circa ossa turbinata crassior, spongiosior, villis tenuissimis, confertissimis superficiei tenus obsita, punctis glandulosis ubique referta; vasa excretoria præsertim in septo, & turbinatorum ossium parte antequam dehiscant, longum sinuosumque priùs iter emetiuntur: Polypi in hac membrana pituitariæ parte præcæteris adnascendi occasio. Mucò per secretionem undequaque stillante continenter irrigatur, humoris, qui oculorum superficiei lubricandæ destinatur, residua partis quæ per puncta lacrymalia, hinc per sacculum ductumque lachrymalem advehitur, stillicidio subjacens aperitur enim ductus ille in cavitate narium pone ossa turbinata inferiora: tandem expirans jugiter humida ex pulmonibus aura varios narium recessus percurrendo, pituitariam membranam madefacit. Sanguinem hæc membrana ab arteriæ maxillaris ramificationibus accipit, revehunt ramificationes jugularis externæ. Nervos præcipuè olfactorios obtinet; hi sunt filamenta involucri à dura piaque matre mutuo obvestita, quæ per foramina ossis cribrosi seu transversalis Ethmoidis lamina cranio egressa, in villosam membrana pituitariæ partem expanduntur. Oriundus ab ophthalmico ramulus filamentum dimittit quod cranium per foramen orbitale internum dictum repetit, mox unâ cum filamento nervi olfactorii exit iterum, ut in membranam pituitariam delitescat, alter denique ramulus à maxillari superiori nervo qui cum intercostali communionem habet suppeditatus, ad posteriores nares progressus supra ossa turbinata & cæteras narium internarum partes dispergitur. Hoc nervorum apparatu membrana pituitaria instructa odoriferorum impressiones percipit, cum oculorum membranis, & respirationis instrumentis mutuum fœdus servat. Qui variam Polypi naturam, sedem, Ethmoidis fragilem structuram, narium ambages, cerebri proximitatem, membrana obvestientis textum, indolem, sensum exquisitum, nervorum, vasorum exortum, copiam, distributiones novit, non diu hæc erit in deligendâ certiori operandi methodo.

JAM si te ad tumoris exstirpationem accingas, è triplici qui sese offert modo, sectione nimirum, avulsione, aut consumptione, quemnam antepones? primus instrumento folii Myrtini formam referente utrinque secante, vel cultello ad extremum in falcem, aut secantem semicirculum formato, tentatur; hoc ad mali radices strenuè perlato, illas salvis cartilagine ossèque abscindunt, abscissumque Polypi corpus hamulo vel forcipe foràs extrahunt, vel repetitis vicibus sectionem absol-
vunt, usque dum liberior fiat aëris per nares exspiratio. At methodum infidam, dirigendi per cæca loca instrumenti difficultas, subsequensque nec facile sistenda hæ-
morrhagia nonne satis arguunt? Avulsionem qui malunt, vel Polypum forcipe apprehendunt, movent huc illuc, donec paulatim distractum aut integrum aut per fra-
stula penitus evellant, vel apprehensi distortionem continuâ adhesionem dilacerant; sed heu crudeliter susceptæ curationis damna, quantò longius morbi incommoda superant! violentius enim divulsâ extensili pituitariâ meninge, sequitur nonnunquam Eth-
moidis denudatio, filamentorum olfactorii nervi proximè ad originem diuresis, san-
guinis è ruptis vasis profluvium, scædum putidum ulcus ozæna, caries denudata ossa consumens, novaque pejor priori Polypi ab excoriatione germinatio. Haud felicior est illius ad consumptionem escharoticorum aut actualis cauterii applicatio, dum Escharotica specillo, turundave ad tumorem deferunt, vel per cannulam argenteam ad Polypum ejusque radices directam intromisso crure cauterii actualis, quam pertingit
cannulæ extremum, partem deurrunt. Periculosæ quidem plena alex operatio in quâ cum nec sciat Chirurgus quam narium partem attingat, nec moneat instrumentum, suæ imprudentis fiduciæ brevi pœnas luet æger, labyrinthorum Ethmoidis destructio-
ne, læsione septi, vicinarum partium exultione ac irritamento, inflammatione de-
mum cerebro communicatâ. Tumoris potius ligatione palmam consequeris, seu altis seu apparentibus ille radicibus adhærescat, mole parvum, & petiolo tereti appen-
sum facilè, magnum & latiori basi protuberantem difficilius stringes hac methodo: ægro in sellâ brachiis dorsoque mobili instructâ collocato, caput retrorsum inclina-
tum firma, per nares externas forcipis non incisoriæ crura immitte, diductis cruribus Polypum arripe, arreptum leniter foras trahæ, quantum substantiæ molities per-
mittet; forcipe hoc in situ manente, filum ceratum, quàm altè fieri potest, supra partem foras deductam religandum injice, duplici nodo constringe; novæ, si possit illa attrahi, prodeunt Polypi parti alterum filum superius injice, tum vel totum opus naturæ conamini committe, vel forcice scalpellove portionem tumoris infra deligatum filum adime, sensim enim Polypus intercepto humorum appulsu, per compressionem solito defraudatus pabulo, à superioribus partibus disjunctus, emortuus intra 8 vel 9 dierum spatium excidet. Polypum verò in fundo oris pendulum, vel in aliocumque difficiliore recessu latentem religare propius ad originem gestienti; instrumento, curracem laqueum altè deferente, tibi opus erit quodque arctius con-
stringendi atque extrorsum trahendi facultatem tibi ministret. Illud sit ad specilli formam fabricatum, pomulo oculato ad extremitatem donatum, incurvum, brevius longiusve pro tumoris propiore altioreve situ, firmum ac solidum; sic tamen ut angustos narium mæandros absque læsionis metu penetret: per rimam pomuli-oculati filum ceratum quod extremitate ansulam curraci laqueo comprehensam gestet tran-
sagito, dein simulac pomulum naribus inditur tumori inducas laqueum, alioque spe-
cillo laqueum circumcirca ita temperes, ut dum pomulum altius adigitur is tumor, rem æqualiter ambiens semper ascendat, quoad reniti pomulo quid sentiatur; tum fili ex-
tremitatem pendulam trahas, nodoque pomuli oculati ope firmato, specillum illud po-
mulo donatum educas, quod per totum curationis tempus singulis diebus rursus in-
dendum erit, ut filo per rimam pomuli transacto laqueum magis ac magis constrin-
gas, quoad tumor obliteretur. Qualicumque utroque in casu utaris ligatione, absque cruciatibus, salvis omnibus vicinis partibus, & sine labentis in stomachum cruoris in-
commodo rem feliciter absolves.

V.

QUAMVIS internæ narium structurae conservationi, Polypi ligandi methodus melius quàm alia quævis faveat, Pituitariæ membranæ excoriationi, nervorum & duræ matris appendicem divulsioni, vasorumque turgescensium ruptioni oc-
currat, à recensitorum symptomatum savitie, ægrum incolumem præstet, tumori-
que absque dolore compedes injiciat: hujus ope parùm te profecisse putes, nisi integram Polypi separationem radicinis obtinueris. Hæc autem methodo quin eam ob-

tineas ne dubites. Hi nimirum ex eâ fructus perceptum eunt, tumoris lapsus non solum, sed etiam vasorum ligationis ope, mutata conditio, legitimæ circuitus normæ in membranâ pituitariâ restitutio, & destructa illius vitiosè germinandi dispositio. Polypus enim vel petiolo pendulus, vel basi latâ protuberans si pituitariæ membranæ adhærescat: debilitatum utroque in casu vasorum tonum, vasæque humoris aggesti mole distenta longiusque producta arguit. His compressis per injectum laqueum, sanguinis & humorum denegatur aditus, dum ad vicina & lateralìa copiosior liberiorque fit refluxus. Hæc ultima restituto ac crescente eorum elatere validiores oscillationum impetus exercent, & priora in quibus Polypus radicitus jam flaccescencia tandem obliterant. Hinc licet exactè Polypi radices non comprehendat ligatura, dummodò maxima tumoris moles intercipiatur, integer tumor marcescet, morietur, ac decidet. Non aliter ad umbilicum funiculus pariterque ad annulos vasa spermatica eâ parte quæ suprà constrictionem est excidit, ob vasorum vicinorum ejus partis quæ excidit elaterem auctum à constrictione multò inferiori. Nec percunt tantum arte illâ radices tumoris, verum etiam nova alterius Polypi adnascendi occasio aufertur; dum enim importunâ tumoris mole pituitaria membrana allevatur, æquabilior fit sanguinis & humorum distributio, quemadmodum ferè uterus enixo fatu restituitur. Quibus non sapit ligatio, tædiosam fili, nodi, instrumentorum supellectilem, utendique difficultatem culpant; at suam potiùs imperitiam accusent: cum Polypi ligationem, non-nisi Chirurgo exquisitâ narium anatomie imbutio, firmissimâ ac dexterrimâ manu prædito, versatissimoque succipiendam proponamus. Porro dum promptius nec minùs feliciter avulsione, sectione & consumptione, curationem obtineri affirmant; citius quidem, sectione & avulsione, fatendum; at si feliciter, illud, benigniori fortè tumoris naturæ, situique commodiori, non methodorum securitati profectò tribuendum: multò secius enim res Chirurgo succedit, si altius firmioribusque radicibus tumor membranæ adhærescat; quis ægrum tunc diris moliminibus cruciatum non commiserescat? Funesta adeò crudelis operationis non desunt, nulla verò prudenter susceptæ ligationis exempla prostant. Extirpato avulsione, sectione aut polypo, æger hæmorrhagiam perpeffus omnibus ut sedaretur irritò adhibitis amisit cum sanguine vitam; nonnulli carie, ozanâ, hemicranîâ, &c. tentati plenam dolore vitam traxerunt: alius quem nobis contigit observare, cauterio actuali recessus narium perlustrante, sibi cerebrum inuri querulâ miserabiliter voce exclamavit, & convulsioni succedente lethargo, è numero viventium sublatum est. Tot rationibus ac experimentis adde ligationis antiquitatem. Ab ipso Hippocrate (a) in usu habita; si enim, inquit, Polypus in naso innascatur, velut quiddam flatu distentum ex obliquâ nare intumescit: eximitur autem laqueo ad os pertractus. Ligationem Galenus, de Vigo, Tacuinus, Gesnerus, commendârunt; feliciter susceptæ Forestus, Fabricius Hildanus (b) exempla proferunt. Quorum ultimus incipienti Polypo aliquandò ad radicem illius, instrumenti beneficio vinculum injecit, feliciter ipsum filo abscedit, adhibitisque per aliquot dies exsiccantibus remediis, ægrum restituit. Instrumenti à se perfecti, quod superius descripsimus ope Glandorpius (c) Polypum extirpavit: sicque hujus methodi præstantiam ratio docet, suadet auctoritas, & experientia demonstrat.

(a) Hippoc. Li. de Affectionib.

(b) Fabricii Hildani Epist. 61. Cent. 1.

(c) Matb. Glandorp. Lib. de Polypo. p. 40.

Ergò à Ligaturâ Polypi narium tutior Curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Consiliarius, & in majori Consilio Medicus ordinarius.	M. Andreas-Josephus Seron.	M. Antonius Pepin, Regis Consiliarius & in Portu Breffensi Medicus Primarius.
M. Nicolaus le Roy de S. Aignan.	M. Thomas-Renatus Gasnier.	M. Petrus Azevedo.
M. David Vasse.	M. Philippus Davier de Breville, Dotaria Hispaniarum Regina Medicus perpetuo ordinarius.	M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.

Autor.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAD, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.